

iuris facere cooperit, tunc adicies heminam unam aquae. sic percoque et sic porcellum inferes.

- (393) **XXV. Porcellum lasaratum:** teres in mortario piper, ligisticum, careum, misces cuminum paululum, lasar vivum, ⁵ lasaris radicem, suffundis acetum, addis nucleos pineos, caryotam, mel, acetum, liquamen, sinape factum. oleo omnia temperas et perfundis.
- (394) **XXVI. Porcellum iuscellatum:** mittis in mortario piper, ligisticum aut anethum, coriandrum, rutam, bacam ¹⁰ lauri, fricabis, suffundes liquamen, porrum, passi sive mellis modicum, vinum modicum, olei aliquantum. cum coxeris, amulo obligabis.
- (370) **XXVII. Agnum simplicem:** de agno decoriato facies copadiola, lavabis diligenter, mittes in caccabo. adicies ¹⁵ oleum, liquamen, vinum, porrum, coriandrum cultro concisum. cum bullire cooperit, saepius agitabis et inferes.
- (371) **XXVIII. Haedum lasaratum:** haedi intestina bene purgata imples pipere, liquamine, lasare, oleo et intra haedum mittes et bene consues et cum haedo simul ²⁰ coquuntur. et cum decoixerit, adicies in mortario rutam, bacam lauri et levatum haedum atque exsucatum ipso iure perfundis et sic ponis.
- (255) **XXIX. Turdos hapantamynos:** teres piper, lasar, bacam lauri, admisce cumino garum et sic turdum per guttur ²⁵ tur imples et filo ligabis. et facies ei impensam, in qua decoquatur, quae habeat oleum, sales, aquam, anethum et capita pororum.
- (256) **XXX. Turtures:** aperies, ornabis diligenter, teres piper, lasar, liquamen modicum, infundis ipsas turtures ut ³⁰ bibant sibi, et sic assas.
- (257) **XXXI. Ius in perdices:** teres in mortario piper, apium, mentam et rutam, suffundis acetum, addis caryotam. mel, acetum, liquamen, oleum. simul coques et inferes.

Expli(cit) breuis ciborum.